

Digitaliseret af | Digitised by



**DET KGL.
BIBLIOTEK**

Royal Danish Library

Forfatter(e) | Author(s): ... enarrabat Johannes Schæperus.
Titel | Title: Finnoniæ elogia, quæ ... Oratione solenni Die
19. Octobris anno 1650
Udgivet år og sted | Publication time and place: Dorpati Livonorum : imprimebat Johannes
Vogel, 1650
Fysiske størrelse | Physical extent: [24] s.

DK

Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk altid at kreditere ophavsmanden.

UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.





Schaeperus,
Finnonia Elogia.

1650.-

70, -289 b

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
UA ÆS 70 4°



1 2 0 7 0 0 0 2 9 1 2 8

+REX



T. 4. 36

FINNONIÆ ELOGIA:

Quæ,

DEO Duce & Auspice,

*In Regiâ GUSTAVIANâ ADOLPHINâ
Academiâ, quæ Dorpati Livonorum est
ad Embeccam,*

ORATIONE SOLENNI,

*Die 19. Octobris Anno 1650. publicè memori-
terq̃ in Auditorio Magno pro concione
enarrabat*

JOHANNES SCHÆPERUS,
Abogiâ Finlandus.

Dorpati Livonorum,

Imprimebat Johannes Vogel / Acad. Typ.
Anno M DC L.

SS. Reg. Maj. cis
Regnorumq; Sveciæ ac Gothiæ Senatori Inclyto,
Illustriſſimo & Magnificentiſſimo Heroi
ac Domino,

DN. PETRO Brabe/

Comiti de *Wifings Borg* / L. Baroni de *Rydbo-*
holm & Lindholm / Regni Sveciæ Archidapifero, Collegij Regij
Judicialis per Regnum Svecorum ſummo Præſidi, & Judici Provinciali
Westrogothiæ: Magni Ducatus Finlandiæ, Alandiæ & Careliæ
Gubernatori Generaliſſimo; ut & Westmanniæ & Da-
lecarliæ Judici ſupremo,

Domino ſuo Gratiſſimo,

Vitam, incolunitatem & Felicitatem perpetuam;



Egine Auguſtæ, Sancti Regniq; Senator;
Celle Comes; Themidos Gloria cella Dæ:
Sanctæ Gubernator quâ ſe Finnonia mittit,
Pacis jure Decus, militiæq; Decus;
Pectore dum grato benefacta virenda revolvo;
Maxima, Celle Heros, ſunt benefacta tua.

Iſſe mei ſemper Patri benefactor haberi;

Auxiliatrici me relevasq; manu.

Si mihi ſuppeterent auri numeroſa talenta,

Non poſſem meritum digna referre tuis.

Fecero, quod poſſum; cum ſit mihi cura ſupellen,

Hiſtoriam Patria dog; dicoq; mea.

Accipiat placidum animum, Clementia veſtra:

Et vivat Muſe ſancta medela mea.

Ita devotè precatus;

In humilimam ſperat a ſperæ promotionis

Devotè & reverenter

Dat, D. D.

JOHANNES SCHÆPERUS,
Abogiat Finlandus, LL. Stud.



A quo omne Bonum,
Nobiscum DOMINUS.

Refert, quo bono Patria Terra felix censeatur. Etenim est, quam numerus incolarum; est, quam insignis opum copia; est, quam sperata fertilitas; est, quam sicut ipse facit felicem. Salubris aër, clari fontes, oportuni amnes, mare proximum, classium pleni portus, peregrinis referta mercibus emporia, lucriq; amore aquor omne sulcatum, parvi & magni Municipij Civēs communiter beant. Bonam dici terram audimus, ubi fortes Equi, ubi pingves Boves, ubi teneri hœdi, ubi dulcia poma, & omnis frugum ubereas uberim prognascitur.

Nec silentio involvendum, quod summa Terræ laus, sit pulcerrima Civium Virtus. Siquidem Vera Religio est introducenda, conservanda, & juxta præscriptum Verbi Divini defendenda; Et Regnicola id agent, ut, Deo Auspice, professione & vitâ Pij Christiani mereantur vocari. Negotia secularia ita erunt administranda; ut boni Moros optimis Legibus efformentur; totum Corpus Civile in Universali Consociatione probè conjungatur; inculpati sint actus privatorum; Communi Legge omnia bona disponantur; facienda proponantur, omittenda prohibeantur. Non licet dormitandum esse, qui Reipub. clavo assidet. Semper vigilandum ei, ne quid erret, qui non nisi plurimorum pernicie erraverit. Justitia in vitâ lucebit veluti picta Virgo illibata, cujus super Capite relucens erit Religio; à Cordo, refulgens Pietas ad omnia utilis, habens promissionem vitæ, quæ nunc est, & futuræ; à sinistris erit Gratia, pro meritis Lauream reponens; à dextris, Gladius ultionis porrigetur; quia correctionis compellendi medicinâ, quos laudis non provocant exempla. Ad Pedes prosternatur Observantia; à colle, velut mutuis in amplexibus hæreant Fides & Veritas. Comes, optata Pax est, concordantium in bono Animorum ordinata tranquillitas; quietus Populus, concors Senatus, & univèrsa Patria Respub. morum honestate vestita.

Quod ipsum, ut identidem cogitant, quibus, secundum DEVM, Patriam nihil dulcius, nihil charius in vita; cum omnes omnium charitates Patria una complexa sit; ita est, Pietate Doctrinâ & Humanitate Ornatissimus Dn. JOHANNES SCHÆPERVS, Abogiensis, Finlandus: qui doctè ac methodicè à se conscriptâ Oratione, hodiè horâ duodecimâ meridianâ, publicè in Auditorio Magno, Patriæ suæ Elogia, pro concione piè & modestè nobis eloquetur.

Magnificum Dn. Rectorem; Generosissimos; Admodum Rev. Nobiliss. Consultiss. Experientiss. & Clariss. Dn. Patres Academiæ, Collegas nostros de venerandos, officiosè;

Nobilitate Generis, Doctrinâ & Humanitate Ornatiss. Dn. Studiosos, amicè invitatos ac rogatos volumus, ut dicto tempore adesse minus graventur. Intelligent, quod verè dixerit, qui dixit;

Sanè nihil dulcius suâ Patriâ, neq; Parentibus

Est, quamvis quis procul divitem domum.

Terrâ in alienâ habitet procul à Parentibus.

P. P. Dorpati, die 19. Octobris, Anno 1650.

V. M. R. & E.

reverenter,

V. P. & H.

amicè colens

Laurentius Ludenius, Ph. & U. J. D.

Poët. Cor. Prof. Ord.

FINNONIÆ ELOGIA.



Agnifice Dn. R E C T O R;
Generosi; Admodum Rev. Nobiliss.
Consuliss. Experientiss. & Clariss.
Omni Dn. Patres Academia; Meccæ-
nates devenerandi:

Tuq; Nobilissima, & omni virtutum genere
Florentissima Studiosa Juventus:

Est certè, quem fovemus erga Patriam nostram,
singularis amor; qui facit, ut sive operi manum adhi-
beamus, sive jucundum & honestum otium sequamur;
dulci quodam Patriæ nostræ teneamur desiderio.

Exordij
Propositio.

Nec id quidem injuriâ.

Naturæ enim veluti cognatum quid & familiare
cum sit Patria; singularem quandam sui dulcedinem
in vitâ præstat Mortalibus, adeo ut Poëta scriptum re-
liquerit:

Transit.
Ratio 1.

Nescio quâ natale Solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Et, an non consimile quid in brutis animalibus de-
prehendimus? Dùm sunt Bestiæ, quæ sylvas & soli-
tudines omni vitæ sociali anteponunt: Dùm sunt Aves,
quæ per aërem vagantur, & in arboribus pendentis ni-
dos deamant; Dùm Maris sunt incolæ pisces, qui aquis
falsis delectantur; & dulces, piscibus in piscinâ oclusis
relinquunt.

2.

Transitio.

Προδηγήσις.

Nec verò sine causâ sic exordior;

Cùm enim præteritorum recordamur; Historiæ nobis enarrant, fuisse qui dicerent: Delicatus ille adhuc est, cui Patria dulcis est. Item fuisse, qui dicerent; Non putandum reverà te exulare è Patriâ, si migres indè, ubi natus & enutritus; sed tantùm te quâdam urbe esse privatum.

Διηγῆσις

1.

Verùm qui rem justo metiuntur pede; & corde, & ore profitentur: Quod Patriâ nihil dulcius; quod in vitâ hac mortali nihil Patriâ charius esse debeat: Dùm nullus est locus domesticâ sede jucundior! Chari sunt Liberi, chari Propinqui, chari Familiars; sed omnes omnium Charitates Patria una complexa est, pro quâ quis Bonus non dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus.

2.

Et, pij in Patriam scribunt Poëtæ;

Convenit omni ratione & Arte

Amantes Patriam salutem ejus moliri.

Ne fatigeris, dùm Patriam recuperare studes.

Natale Solum, ut convenit, gratissimum est hominibus;

Neq; verbis, ejus dulcedinem exprimere possum.

Multo enim auro & opibus antecellit Patria;

Et inhabitanda prudenti Viro: Nam quod Naturæ

Cognatum est & familiare, nescio quam sui

Dulcedinem Mortalibus in vitâ præstet.

Quibus præmissis; Sani quidem judicio non rectè sapit,

Ἐπιδηγήσις 1.

Qui

*Qui, spreto Patria finibus terra,
Alienam laudat, & moribus gaudet alienis.*

Indè non obscure elucescit, quod Beatus ille, qui
Domi fortunatus manet.

Et Patriæ amantissimus Ulysses, cupidus vel fumum
exeuntem videre Patriæ suæ; sicq; mori optat.

Hinc & meum in Patriam meam svavissimam de-
siderium, ut qualicumque ratione contester, FINLAN-
DIÆ Elogia paucis eloquar.

Quod dum meditor; à vobis, A. I. obnixè contendo;
ut mihi dicere conanti, per temporis exigui spatum,
attentas Aures, & benignos Animos concedere
haud dedignemini.

*Adsis, Christe, mihi; titubantem flecte loquelam;
Inq; tuas laudes, quod meditabor, eat.*

Quo piè præmissio voto: A. I. non ignoraveritis,
quod egregium rei, ut & Regionis NOMEN, eandem
multis modis commendet; & omnibus chariorem
efficiat.

Nomen enim, quasi novimen dicitur, à nosco;
quod notitiam faciat. Siquidem per id, quo quicquid
nominamus, illud agnoscitur: Estq; Nomen velut
brevis quædam rei definitio.

Quæ dum meditatur; intelligimus, quod Patriæ
meæ, ut Regioni singulari, peculiare & egregium No-
men sit impositum; quod illi cum aliâ terrâ non est
commune, dum dicitur FINNONIA, sive FINLANDIA,
quasi ein feines Land.

Nec id injuriâ. Rebus enim ferè omnibus, ad hu-
manæ vitæ sustentationem necessariis, hæc Regio ab-
undat. Dives est Regio Finnonica Graminibus, pascuis,
fylvis,

2.

3.

Proposicio.

Petitio.

Votum.

Confirmatio;
ejusq;
Arg. 1. à
Nomine.
Thesis:
Ratio.

Hypothesis:

Ratio 1.

ſylvis, frugibus, pecoribus, jumentis, piſcationibus, venationibus, & aliis ad ſuſtentationem neceſſariis.

2. Incolæ, ut piſcationum reditûs commendent, maternâ lingvâ, Patriam ſuam vocant *Somi* / ob multitudinem ſquamarum piſcium captorum, quib9 frequentiffimè habitations domuum conſperguntur: Divinamq; benedictionem in piſcibus capiendis contendantur.

2. *Arg. à*
Situ,

Hinc *ſitus* Finlandiæ erit cognoscendus.

Etenim ordo Magnitudinis terræ cognitæ olim erat, ut divideretur in Europam, Aſiam, & Africam.

Prop. 1.

Et quidem *in Europa ſita eſt Finlandia*, quod ita deducimus:

Expoſitio 1.

Habet Europa *partes Orientales*; ſcilicet I. Tartariam Minorem, ſive Præcopenſem: II. Habet Tauricam Chersonesum, dictam à Tauris, quibus Oſiris illam terram aravit: Dividitur III. in Sarmatiam Europæam, ſic dictam ad differentiam Aſiaticæ: Habetq; in ſe regiones ſeptem, utputà 1. Poloniam, 2. Ruſſiam Meridionalem, ſive Nigram: 3. Pruſſiam ſive Boruſſiam: 4. Lithuaniam, 5. Livoniam: 6. Podoliam: 7. Moscoviam, quæ partem occupat Sarmatiæ Europææ, ut & Aſiaticæ. Dividitur IV. Europa Orientalis in Ungariam; V. in Tranſylvaniam: Datiam & Myſiam: VI. in Thraciam: VII. in Græciam; cujus regiones ſunt, Macedonia, Epirus, Achaia, & Peloponneſus.

2. Habet hinc Europa *partes meridionales*; ut eſt I. *Illyricum*, habens Sclavoniam, Albaniam & Dalmatiam. Eſt II. *Italia*; & ſunt Inſulæ, quæ adjacent Italiæ, tres, utputà Corſica, Sardinia, & Sicilia.

3. Habet Europa *partes Occidentales*, Galliam putà, & Hiſpaniam.

Habet

Habet Europa *partes septentrionales*, ut sunt 1. *Insulae majores*, scilicet Hybernia; & Britannia, quæ in Angliam & Scotiam dispescitur. Habet 2. *Insulas Minores*, ut sunt Orcades 30. & Hebrides 43. Habet 3. *peninsulas duas*, scilicet *Scandiam* (sub quâ Lappia, Finlandia, Svecia, & Norvegia) nec non habet *Cymbricam Chersonesum*. Item habet 4. *partes continentes*, utputâ Germaniam Superiorem & Inferiorem, quæ Belgium vocatur.

Et ita quidem à Dn. Alstedio refertur Finlandia ad Scandiam. Illas.

Reverendissimus autem Dn. D. Paulinus in Historia Arctoâ, inter Scythicas terras numerat Finnoniam, dum inquit, *Lib. 1. Hist. Arct. cap. 26.* EUROPEAM SCYTHIAM ab Asiaticâ, orientem versus separari fluviiis Thanai, Viscorâ & Oby: ad Austrum, terminari littoribus Mœotidicis & Euxinâis, nec non flumine Danubio: Partem Occidentalem, cingi fluvio Vistulâ, Oceano ortivo, atq; Sinu Bothnico; & deinceps Aquilonem versus, fluminibus Kimi, & Teno in Oceanum Glaciâlem illabente, qui Septentrionalia Scythiæ littora alluit, usque ad ostia vastissimi fluminis Oby, veluti ex *Europæâ Dn. Mercatoris descriptione est evidens.*

Undè etiam apparet, hanc Europæam Scythiam suis terminis includere quatuor amplissima Regna; Finnonicum scilicet, Muscoviticum, Polonicum & Ungaricum, unâ cum multis adhærentibus Provinciis. Illatio.

Hinc non minorem gloriam Finnoniæ conciliant Termini, quibus clauditur. 3. Arg. à terminis.

Nam *latus occiduum*, Sinus Bothnicus attingit: *Latus meridicum*, Sinus Venedicus lambit: Partem *terre Orientem*, ambit lacus Ladoga, & Fluvij duo; 1. *Venijosi* / qui extremitate Sunonis in Onegam lacum sese

2.

4. Argum.

Ratio.

2. Arg.

Sinu,

Prop. 1

Exposi

5. Arg. à
partibus.

Sic sunt 1.
Provincia
Insulares.

(a) Alan-
dia.

exonerat; & 2. est *Tovastofi*. Latus *Boreale* clauditur
Laponiâ *Kimicâ*, & *Biarmicâ*.

Terminis ita cognitis; ipsa *Finlandiæ Quantitas* atq;
Figura, hanc terram plurimum commendat.

Etenim, dicente Dn. *Johanne Magni* in præfat. Hi-
stor. *Gothorum Sveonumq;* cap. 5. *Finlandia*, triquetra
formâ apparet; cujus unumquodque latus continet
centum quinquaginta miliaria *Gothica*; quæ ter mul-
tiplicata, bis mille & centum *Italica* constituunt: con-
tinetq; miliare *Gothicum* communiter sex *Italica* mi-
liaria: nonnunquam octo.

Hinc variæ provinciæ & terræ *Finnoniâ* com-
mendant.

Namq; sunt provinciæ *Finnonicæ insulares*; ut est
Alandia, & aliæ *insulae adjacentes* innumeræ, quæ à navi-
gantibus, *Stockholmiâ Abogiam*, in medio itinere &
navigatione, numero ferè innumero conspiciuntur.
Quæ omnes oceano undiquaque ambiuntur & conclu-
duntur.

Alandia regio est, Deo benedicente, felix frugibus,
& variis leguminum generibus; Gaudet armentis &
pecoribus. Venatio *Damarum*, *Lincium*, *Vulpium*,
Leporum, & aliarum ferarum bestiarum, dives est. Fre-
quens est ibi *Alce*, animal ferum, figurâ, colore, &
quantitate mulæ similitudinem prætendens; sed labi-
um superius aded protensum habet, ut nisi retrogrado
gressu inter pascendum incedat, herbas è terrâ enatas
carpere non possit. Quodq; mirandum, mares ex hi-
sce animalibus, in superciliis habent cornua. Est porro
aucupium omni annorum tempore jucundum. Ma-
ria & aquæ, omni piscium genere abundant, & pesca-
tores magno piscium proventu beant. Montibus ab-
undat

undat terra, ut & lapidibus, calci coquendæ aptis. Arcem habet, quæ Kastelholmia dicitur: quæ Incolis fiduciam; Hostibus verò terrorem incutere poterit.

Loca maritima Finlandiæ, Naturæ conditor undiquaque Insulis, Scopulis, Rupibusq; præruptis circumcinxit & quasi circumvallavit; ut difficile sit extraneis, sine perito ductore, ab indigenis edocto, ad hæc oras appellere: Suntq; scopuli illi saxi asperi, aut cautibus invij, & sæpius vix virenti cespite vestiti. Insulæ in Mari conspicuæ, quamvis suis locis agros, prata, pascuaq; habeant gratissima; tamen majori ex parte rupibus, densissimisq; sylvis sunt consistæ. Undè exteris primum adventantibus mirum videtur, solum insulare tam asperum & incultum, incolis alimoniam suppeditare posse: Cùm tamen, Deo benedicente, loca insularum interiora, cunctis, quæ ad vitæ sustentationem requiruntur, sæpius satis opulenta conspiciantur: & piscatione insulæ gaudeant uberrimâ: Undè, si quæ defunt, ex aliis locis & terris afferri solent, frumenta; & Insulares, iisdem solent pisces, titulo vel per mutationis, vel emptionis & venditionis, subministrare.

Hinc sunt *provinciae Finlandiæ continentes*, quæ ita numerari possunt, ut sint *maritimæ angulares*, scilicet Finlandia Meridionalis & Septentrionalis.

Angularis Finlandia Meridionalis, ad Sinum Venedicum ortum versus extensa, & à Septentrionali Fluvio Aurajoki determinatur, qui civitatem Episcopalem Abogiam præterlabitur.

Certè *Civitas Abogiensis*, inter præcipuas Finlandiæ Civitates, Deo auctore, inclyta claret. Est ob sedis Episcopalis eminentiam celeberrima. Eandem ædificia tam publica, quàm privata plurimum commendant.

(b) *Insulæ circumjacentes.*

II. *Provinciae Continentes.*

(a) *Maritimæ angulares, ut est i. Angularis Finlandia Meridionalis, ubi Abogia; Digressio, in laudes Abogiae,*

Templi,

2.

2. Arg
Situ,

Prop.

Exposi

Gymnastij,

Academie
CHRISTI.
NÆA.

2. Arg
Situ,
Prop.
Exposi

dant. Templum Cathedrale habet amplissimum :
Quod Illustrissimorum plurimorum Heroum Splendi-
dissima sepulchra, reddunt Illustrius. Concinna stru-
ctura, videntium oculos singulari artificio in sui admi-
rationem rapit atq; convertit. Tecto splendet cupreo.
Columnis incumbit stupendis, variis historiarum ima-
ginibus exsculptis, quæ, literarum ignaris, historica læ-
ctationis vicem supplere poterunt. Est benè sonantibus
Organis Musicis personum, Altare, aureo & argen-
teo habitu exornatum conspicitur. Suggestum, auro &
argento splendidum. Et quis insignem Artificum in-
geniosissimorum manum depingere, Orationeq; suffi-
cienter exprimere poterit?

Jam tùm antiquissimis à temporibus ibi floruit Il-
lustre Gymnasium, quod sæpius septingenti Musarum
Alumni frequentârunt; è quo, tanquàm ex Equo Tro-
jano prodiere Adolescentes, Doctrinâ & moribus Or-
natissimi, qui deindè Remp. Literariam suâ scientiâ
laudabili, plurimùm exornârunt.

Quod cùm per orbem inclytum innotesceret; Ad
Serenissimam & Potentissimam Principem ac Dominam, DN.
CHRISTINAM, Svecorum, Gothorum, Vandalorumq;
Reginam electam, ac Principem Hereditariam; Magnam
Principem Finlandiæ; Ducem Esthoniæ & Careliæ; Dominam
Ingria &c. Dominam & Reginam nostram Clementissimam;
Devotis animis retulit, SS. Reg. Maj. Regnorum Sveciæ & Go-
thiæ Senator; Illustrissimus & Magnificentissimus Heros ac
Dominus, DN. PETER BRASSE / Comes de Wi-
singsborg / L. Baro de Rydholm & Lindholm; Regni
Sveciæ Archidapifer; Collegij Regij Judicialis per Regnum
Svecorum summus Præses, & Judex Provincialis VVestro-Goth-
iæ; Magni Ducatus Finlandiæ, Alandiæ & Careliæ Guber-
nator

nator

nator Generalissimus; nec non *Wesmanniæ & Dalecarliæ* Ju-
dex supremus, Dominus meus Graciosissimus. Et, Deo annu-
ente, impetravit; ut Gymnasium in Academiam Re-
giam sublimaretur; quæ Anno 1640. die 15. Julij, à SS.
Regiâ Maj. Magnificentissimè, Deo & Musis est conse-
crata, & CHRISTINÆa non abs re vocatur.

Afferat auxilium Deus auxiliaris; Amicus

Illustri assistatq; operi, pia factaq; firmet;

Regia Progenies *GVSTAVI* Regis *ADOLPHI*

CHRISTINA, Heroïna, sacrâ *Virtute Serena*

Arctoi Regina orbis, *Jovis* Incrementum,

Hic ubi Finnonicis assurgit *Abogis* terris

Fecit, ut *Aoniis* præclara habitacula Musis

Regificâ & pompâ surgant *Academica* Tempe.

Imperitat pariter solemnes ducere pompas

Pergamaq; æternùm *Clariis* sociare *Camœnis*

Atq; perennantem Musis dare *Civibus* urbem.

Ut nos ritè suum *CHRISTO* referamus honorem.

Carminibus sanctis, lances & liba feramus;

Palladium extruitur, *Christiq;* dicatur honori.

Ut pius *Eunomiæ*, sacræ *Themidosq;* Sacerdos

Irreprehensa ausit dare jam *Responsa* petenti, &

Reddere jura *Foro*, & componere *legibus* orbem,

Palladium extruitur *Themidosq;* sacratur honori.

Ut fugiant hominum morbi, & quæ plurima mul-

Dira per incautum serpunt *contagia* vulgus, (tùm

Palladium extruitur *Panacæ* *Hygiæq;* *cupitæ*.

Ne malè *Barbaries* peregrino turpis ab orbe

Insurgat, *Sophiamq;* procul pellatq; fugetq;,

Palladium extruitur, *Sophiæq;* dicatur honori.

SALVE, avi *Princeps*; *Numen* terrostre, triumphæ,

CHRISTINA, *Arctoo* *Solio* *Regina* *Serena*!

2.

Perge; pias laudes, humilesq; rependere grates
Omne ævum perget; per secula tota futura
Posteritas semper Numerosâ laude, benignè
Excipiet; meritas & reddent Secula voces.

Nos lætanti omnes testamur gaudia vultu:
Unum & idem votum est; Regina Illustrior illa,
CHRISTINA ò vivat! sint immortalia sæcla,
Et regat Imperio sanctis & Legibus Orbem,
Quo Rex intròeat totius Gloria Gentis
Ultimum ad usquè diem rerumq; novissima fata.

2. Arg
Situ.

Prop.

Expof

2.

Ipse Gubernator terræ Illustrissimus Heros,
Dives opum, clarus Genus alto à sanguine, PETRUS
BRANDE/ Comes Regni; CHRISTO Duce & Auspi-
ce CHRISTO,

Palladium donis opulentum & Numine CHRISTI
Ædificat; Sanctos mores & mœnia ponit,
Ut Rex intròeat totius Gloria sæcli;

3.

Vivat! & in melius Sacrosancta negotia tota
Transferat. Amplificetur Honos, & Gloria CHRISTI.
Magnificus meritis Procancellarius ille
Vivat ROTHOVIVUS famâ super æthera notus
ISACUS, nostri venerandus Episcopus orbis.

4.

Vivant Illustres Proceres, & robora tollant,
Ut Rex intròeat totius Gloria terræ.

illatio:
Arcis olim,
& etia-
mnum.

Sic in Angulari Finlandiâ Meridionali, jam felix ha-
betur Abogia; quæ olim in Occidentali insuper parte
habuit arcem *Gustlo*; nunc dirutam. In Orientali ta-
men parte jam habet Arcem & Ditionem *Raseburg*:
ubi ad Mare Livonicum insimul jam sita est civitas
Esnâs.

Et est 2. An-
gularis Fin.

Septentrionalis Finlandia ab *Aurajoki* secus sinum
Bothnicum ad fluentem *Kyro* in *Boream* protenditur.
Utram-

Utramque Satagundiam, Wiemo & Masco complectitur; habetq; famosum flumen, Salmonum variorumq; aliorum piscium capturâ nobile, Rumoelf dictum; circa Civitatem Biorneburgum in mare decurrens. Civitates habet Biorneburgum, Raumam, Ny stadium, & Nadiendalium, quasi vallem gratiæ dictam, à celebri quondam Monasterio ibi locorum constituto.

landia Septentrionalis.

Hinc si digrediamur à Finlandiâ maritimâ angulari, ingredimur *Finlandiam maritimam lateralem*; ubi versus Boream occurrit *Cajania*: versus ortum, *Nylandia & Carelia*.

Provinciae continentis (b) Maritimae laterales, ubi est versus Boream, Cajania,

Cajania, olim vocabatur *Bothnia Orientalis*. A Finlandiâ Septentrionali secus sinum Bothnicum procurrit versus Arctum ad fluvium Kimi limitaneum. Fluvios habet benè multos, inter quos excellunt *Kimielff*, *Njoelff*, & *Dlaelff*. Nuper condita habet oppida *Ula* & *Wasa*: nec non castra *Cajaneburgum*, & *Ulaburgum*.

versus arctum, Nylandia,

Nylandia dicitur, quasi Nova terra; non quod à Plebe & Culturâ prorsus fuerit deserta, ac nuper primum inhabitata; sed quod coloni illi, qui modò Regionem hanc inhabitant; respectu reliquorum, nuper ad ea loca pervenerint; quandò *Helsingij* alijq; *Sveci*, suas illuc deduxerunt colonias; cùm prius ibi habitassent *Finnones*, ut & *Carelij*. A ditione *Raseburgensi*, secus Sinum *Venedicum*, Orientem versus, usq; ad fluvium *Kymene* in longum protenditur. Glebam habet satis uberem: Piscationibus è variis fluviis, quibus irrigatur, gaudet: Aucupii & venationibus dives est. Oppida habet, *Borgo* & *Helsingfors*.

Nylandiam versus ortum excipit *Carelia*; Regio amplissima. Olim, dicente *Dn. D. Paulino*, totum illum occupabat tractum, qui inter *Kymene* fluvium, &

& *Carelia*. In *Histor. Arct. lib. r. cap. 28. Situs.*

Pci-

Peiende Lacum, & Onega, & duobus fluviis, altero Pinafioki per Vigozero in mare Album; altero Poventz in Onegam illabente; versus meridiem, partim sinu Vandalico & Ladoga Lacu, partim fluvii Sveri ex Onegâ in Ladogam; & Nieva è Ladogâ in sinum Vandalicum sese exonerantibus; ad Boream autem vastissimo flumine è Lapponiâ in Mare Album, prope castrum Kemi decurrente, terminabatur.

Denominatio innuere videtur, quod inhabitatores è fœturâ Pecorum & Armentorum sese olim præcipuè sustentaverint; siquidem Caria, Finnonicè pecudes atq; Armenta significat: Cùm interim, tam propter lacuum & fluviorum, quàm Sylvarum copiam, Aucupii & Piscationibus terra minimè destitueretur.

Finnonia, quamdiu à propriis Regibus fuit gubernata; tota Carelia ad Regnum Finnonicum pertinuit. Verùm cùm Sveciæ Reges paulatim Finlandiam sibi subjugare inciperent; Moscovitæ, ne vicinitas Svecorum noxia esset, crescenti potentæ occurrere conati sunt: jam totam Careliam, jam partem ejus aliquam occupârunt: quandoque verò integram Svecis relinquere jussi sunt; donec Rex Sveciæ MAGNUS Smeſ / & GEORGIUS, Dux Novogardiæ, ita convenerunt; ut, termino in Systerbef / & lineâ inde in septentrionem progrediente, constituto; pars occidentalis, Sveciæ, Orientalis verò Russiæ cederet.

Hinc Anno Christi 1617. Carelia Kexholmica, & Arces Nöteborgum, Ivanogrodia, Jamagardia, & Copuria, earumq; Ditiones, adeoque tota Ingria in potestatem Regis Serenissimi D. GUSTAVI ADOLPHI, pervenit. Et hac ratione, tractus ille Careliæ, qui Lacubus Ladoga, Onega, & Mari Albo interjacet, in Magni Ducis

2. Arg
Situ.

Nomen.

Prop.

Expoſ

Imperium

(a) Majorum.

(b) Modestum.

Ducis Moscovitici ditione solùm permanfit. Et usu venit, ut Carelia Svetica, divideretur in Finnonicam, cujus Metropolis est Wiburgum; nec non in Careliam Kexholmicam, cujus Arx & Civitas est Kexholmia. Regio versus Australiora loca, fertilior; sed versus Borealiora, adedò paludinoſa, ut ſola loca montofa fruges producant. Unde ibi habitantes, è piſcaturâ & venationibus potiſſimùm vivunt.

Satis jam ſatis de Finlandiâ maritimâ laterali: Dicendum de Regionibus, quæ ſuperſunt: ut ſunt duæ Finlandiæ regiones mediterraneæ; *Tavaſthia* ſcilicet & *Savolaxia*.

Tavaſthia, ab Occidente, habet Finnoniam ſeptentrionalem; à Septentrione, Cajaniam: ab Ortu, Savolaxiam & Careliam: à Meridie, Nylandiam. Gaudet annonæ aliarumq; rerum ſœcunditate. Ad Boream continet paludes quasdam ferri, dictas *Nautalambi*: Ubi *incondita* ferri maffæ ex imis lacuum fundis eruuntur; undè, facili labore & ſumptu, ferrum variis uſibus aptum, confici poterit. Arcem habet *Tavaſthabus*.

Savolaxia ad occaſum habet *Tavaſthiam*; ad Septentrionem, paludes & fluvios, *Ola* dictos: Ad Orientem, Careliam; ad Meridiem, fluvium *Doxen*. Lacubus & fluviiſ Piſcoſiſ ſcatet, qui ut plurimùm per fluvium *Doxen* in lacum *Ladoga* ſeſe exonerant; qui non modò variis Piſcium generibus, & præcipuè Luciorum copiâ abundant; ſed, (quod mirandum) vitulos inſuper marinos & phocas alunt. Arcem habet, Caſtrum novum dictum; Olim, *Olai* Arx cognominabatur.

Finlandi Gentis ſuæ, ſecundum Deum, authorem agnovere Magogum, Noachi è filio Japheto Nepotem, qui ex oſtiis fluvij *Tanais*, verſus ſeptentrionem procedens,

(c)
Provinciæ
Continentes in
Finlandiâ
Mediterraneâ.
Tavaſthia.

Savolaxia.

Arg. 6. à
Majoribus.
Joban. Magni
in Hiſt.

Sued. lib. 1.
cap. 4.

cedens, primùm in eâ Europæ Scythiæ parte, quæ nunc *Finlandia* vocatur, confedit. Deindè multis in Finlandiâ relictis, transmisso Venedico maris sinu, in Gothiam, Scandianæ peninsulæ partem, navibus vectus, magnâq; populi multitudine sociatus, pervenit, & eas Gentes ex suo nomine Magogas nominavit.

Arg. 7. à
Resp. forma.

Finlandia, cum adjunctis in posterum sibi regionibus Thavastiâ, Careliâ, Lappiâ, Nylandiâ, Ostrobothniâ, Alandiâ, cæterisq; minoribus districtibus & contractis, inter Russiæ confinia, & Sinum Maris Balthici, ab Austro in Aquilonem protensis; in Regnum paulatim accrevit. Ab indigenis & domesticis Regibus feliciter administrabatur. Sed postquam non solum Regno Sveciæ ceperunt intolerabiles hostes esse Finlandici incolæ; verùm etiam pertinacissimi Fidei Christianæ persecutores exstiterunt, continuâq; bella & damna plurima Sveonibus intulerunt: Divus Rex ERICUS IX. in Regem Svecorum Anno Christi 1150. electus, collecto prævalido exercitu, sumptuq; secum religiosissimo Upsaliensi Pontifice *Henrico*, bellum in Finlandos transfudit cruentissimum. Victi Finlandi; eorumq; plurimi cæsi. Superstites, Regi-Victori se submiserunt.

2. ARG
Situ.

Prop.

Expoj

Dn. D. Paulinus lib. 1.
cap. 16.

Job. Mag.
lib. 19. c. 3.

Tùm pius Rex, in lachrymas resolutus, ad circumstantes familiares dixit; Gaudeo equidem, Divinam Providentiam nobis victoriam de suis, & nostris adversariis concessisse: at vehementius doleo, tot hostes in hoc prælio desideratos; qui si ante mortem ad Sacri-Baptismatis sacramentum pervenissent, nequaquam per hanc mortem ad sempiternam mortem corruissent! Deindè Finlandia ad veram Christi fidem paulatim conversa, & per Baptismum in Christo regenerata est. Rege recedente, Pontifex *Henricus* apud Finlandos majorem

jorem pugnam contra hostes animarum in summis vitæ periculis aggressus est; quàm antea Rex ERICUS IX. contra formidabilem Finlandorum potentiam cum toto suo exercitu subivit.

Hinc cum ERICUS XI. Regno præset; qui electus est Anno Christi 1223. ad augendum Dei honorem armata manu *Thavastiam* ingressus est, & non solùm Sveonibus, sed fidei Christianæ, graves ac intolerabiles hostes, bello navali ut & terrestri aggressus est. Commissâ pugna, Sveones, Duce Birgero Jerl, victoriam non incruentam assecuti. Legem victis præscriperunt, ut si pagana superstitione abjectâ, Christianam fidem acceptarent, nec in vitâ, nec in bonis periclitarentur: alioquin nec vitâ, nec bonis deinceps potirentur. Assumpta est conditio à compluribus, qui non solùm Christianam fidem integro pectore admiserunt, sed Regno Sveciæ fidelem subjectionem jurejurando promiserunt; eamq; hætenus tam incorruptè præstiterunt, ut & optimi Christiani, & Fidelissimi erga Sveciæ Reges semper fuerint æstimati.

Hinc *Torgillus Canui*, cùm Anno Christi 1292. BIRGERI II. tutor esset; ingentem exercitum in Carelos per mare & terras eduxit. Quippè Careli hætenus Gentilitatis errore decepti, Idolis sacrificia offerebant, omniumq; vicinorum Christianorum persecutores erant acerrimi: Quos Sveones potenti manu aggressi, superaverunt, & Regno Sveonum adjecerunt; erecto in ejus confinibus munitissimo Oppido & Castro Wiburgenfi contra insultum Moscovitarum; idq; consilio & prudentia *Petri*, Arosiensis Episcopi, qui & totam Careliam baptizavit, & ad Christi Ecclesiam perduxit.

Jam dicendum, Specum subterraneum esse prope

Joh. Mag. lib. 19. c. 15. 2. Convertitur Thavastia.

3. Careli convertuntur.

Joh. Mag. lib. 20. c. 11.

Arg. 8. à mit. aculofo.

2
Olaus M.
in Historia
Gent. Se-
pten: lib. II.
c. 3.

2. Arg
Situ.

Prop.

Expō

littoralem urbem, *VViburgum* appellatam, iisdem Mo-
schoviticiis terris plurimum vicinam: quæ ejus secreta
virtutis est, ut animali vivo in ipsam projecto, tam hor-
ribilis sonus excitetur, ut sua excellentiâ aures pro-
pe positorum suffocet, ne audire, aut loqui, vel stare
possint: qua virtute multo plures, quàm vehementis-
sima bombardæ interimit, vel debilitat in momento.
Sed neque hoc naturæ opificium videtur esse ociosum.
Ingruente enim hostilitate, Præfectus terræ jubet omni-
um aures concludi cerâ, cellariisq; ac antris abscondi
victuros: & demùm se muniens, animal aliquod vel
hastâ, vel fune præcipitat in os speluncæ: unde tam
horridus excitatur sonus, ut hostes obsidentes in cir-
cuitu, quasi mactanda pecora collabantur, lapsiq; (si
incolis visum est) longo intervallo remaneant spolian-
di. Sed nulla voluptas ultionis sumendæ victoribus est,
quando naturæ potentia tam fortiter opprimi viden-
tur inimici: qui mox ut sensum ceperint, non prælian-
di, sed fugiendi tempus assumunt, ne sono iterùm ex-
citato, tandem moriantur, vel mortifera ægritudine
contracta, paululum etiam fugientes supervivant; quo
casu evenit, ut qui armis & viribus à bellico furore re-
primi non poterunt; solo terroræ mugientis naturæ
tabescant, pristinum vitæ robur tardè vel nunquam re-
cuperantes.

Fortitudinem Gentis hujus bellicam, satis testan-
tur quotidiana documenta.

*Scilicet adversis Virtus exercita rebus,
Tristi materiam tempore laudis habet.*

Et miraculi instar est, quod Finnones tempore hye-
mali utantur soleis ligneis, quas *Suksi* vocant; quibus
super altissimas nives celerrimè currendo, feras inse-
ctari,

Arg. 9. d
Fortitudi-
ne Bellicâ.
Ratio 1.

2.
Bureus in
descrip-
tione Suecicæ
168. 42.

Clari, hostem insequi, institutum vè iter peragere pos-
 sunt. Siquidem tempore hyemali, cum tota regione
 nivibus oppleta sunt, res illa sepius facillimam præ-
 buit Hostium deletionem. Namq; Hostibus è via ne-
 latum quidem pedem excedere conceditur, nisi velint
 continuo, & Equites & Pedites toti, nive obrui; cum
 nivibus certare; & in nivibus natate; cum contra, qui
 soleis illis ligneis vehuntur Finnones, velut volantes,
 in eos ex omni parte irruere, ac jacentes telis armisq;
 configere possint. Cujus rei paulò ante obitù D. JOHAN-
 NIS III. Sveciæ Regis, exemplù cõtigir; quandò Ruthenus
 centum millibus armatorum stipatus; Finlandiam ex
 improvise devastaturus occupaturusq; irrupisset; nul-
 lum tùm Sveciæ milite in Finlandiã præsentem; tùm sex-
 centi tantùm Rustici, è Jeskis, & vicinis pagis, soleis il-
 lis ligneis vecti, totum Magni Ducis exercitum dissipã-
 runt, & internecioni dederunt; paucis superstitibus,
 qui retrò in Russiam fugiendo, ut cladis nunciij, per-
 venerunt.

Postquam sic inelyta Gens Finnonica, Serenissimis
 Regibus Sveciæ subjecta est; & pullã idolomania Do-
 mino & Salvatore nostro JESU CHRISTO adducta: Ab
 eo jam tempore, Tempia & Scholas studiosissimè ex-
 struxit: facta est præcipua omnium virtutum amatrix,
 præsertim liberalitatis & hospitalitatis, quã incolæ ejus
 in advenas & peregrinos per summam benevolentiam
 piè utuntur. Sunt omnes & singuli inter se benigni,
 & modesti, atq; ad iram tardi: verum enim verò si diu-
 nimis provocati fuerint, tarditatem magnitudine vin-
 dictæ recompensaverint. Habitant vicatim in Paro-
 chias & Districtus distincti. Templorum olim piè ex-
 structorum ædificia, facta tecta servant; & ut alia exstru-
 antur,

*Arg. 10. d
 moribus.*

*Olaus Ma-
 gni lib. 4.*

cap. 18.

antur, identidem allaborant. Sacerdotibus summam venerationem exhibent, decimasq; omnium rerum fideliter persolvunt: A Reverendis Verbi Divini Ministris in Doctrina Legis & Evangelij sanctè & piè informantur. Pristinis erroribus extirpatis, ad honesta quæque perficienda, solerti quâdam mentis ingenuitate feruntur, & provehuntur.

Sic A. I. Finlandiæ Elogia paucis enarrare volui.

Cives in civitate si suas Domos admirantur; admireremur & nos patriam nostram, quæ, Deo benedicente, nos alit, nos sustentat, & omnibus nos bonis accumulat.

O æterne Deus, tibi Regum & Regnorum Præsidi, pro tot tantisq; beneficiis devoto animo devotas agimus gratias. Te devotè precamur, ut *Serenissimam & Potentissimam Principem ac Dominam, Dn. CHRISTIANAM, Svecorum, Gothorum Vandalorumq; Reginam; Magnam Principem Finlandiæ; Ducem Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verde, & Pomeraniæ; Principem Rugiæ; Dominam VVismariæ & Ingriæ, &c. Victricem, Piam, Felicem, Augustam, & Inclytam; Dominam & Reginam nostram Clemencissimam; diutissimè conserves, ac rebus humanis felicissimè porrò patiaris interesse! Veritatem & Judicium Pacis judicet in portibus Regni. Exultet cornu populi sui, & conterat Hostes! DEUS confortet seras portarum; det Pacem; nec sit, qui exterreat.*

O Domine Deus, Illustrissimorum Regni Procerum verba audiantur in silentio! Sit in Sancto Senatu attentio ad verba justitiæ, & pacis.

D I X I.

In Ho

2. Arg
Situ.

Prop.

Expo

Peroratio:
ejusq; 1. Re-
peritio.

2. Amplifi-
catio.

3. Affectu-
um morio.

(a)

(b)

Ar
No
ne
Ra

Ba
de/
ne.
rag

In Honorem.

Doctissimi & Humanissimi Dn. Perorantis.

JOHANNES SCHÆPERUS, ABOENSIS FINLANDUS.

Per Anagr. mut. u in o.

FLOS PHOEBI SUDAS, HÆC RES SANÈ NON INANIS.

Enodatio.

JOHANNES, Charitum Cultor, FLOS auree PHOEBI,

Et Boreæ Geniis pulcher Ocelle tua :

Omnis in Aonio SVDAt qui gnariter agro,

Ingenuas Artes nôdæ dieq̃ colens,

Horrea divitiis magnis cumulabit onusta

Et referet fructus transicione bonos.

Asc̃, velut Agricola duos perferre labores

Debent, si sperant auricomas segetes ;

Nam spargunt pingvi terram fimo, renovantq̃,

Et cogunt tauros fortia ferre juga ;

Nunc curvis rastris rimaneur fortiter arva,

In qua transmittunt grana minuta manu ;

Eriguis pratis nunc fœnum falce recondent,

Atq̃ labore gravi corpora lassa ferunt :

Sic quoq̃ qui gnarus Claris luctatur in arvis,

Et dulces pleno gutture sumit aquas ;

Sæpius in duris ponet sua corpora stratis,

Murice quàm subeat stamina tincta tori.

Cogitur assidue variis operum Labyrinthis,

Atq̃ onerum duro subdere colla jugo ;

Horrenda atq̃ feret nunc frigora, nunc simul æstus,

Cum fame sæpè sitim, cumq̃ labore morum.

Asc̃, quamvis primùm radices sentiat agras,

At tamen eventu præmia larga feret.

Eunomia hinc Soboles nunc pergas, doctè JOHANNES,

Acriter Aoniis invigilare Choris.

Per-

Perfringens ovis hoc, *SUDA* per secula: *SANE*
HÆC RES In Domino *NON* tua *INANIS* erit.

Et tibi lacryarum ubi surgit *ABOGIA* terras
Chara, reverenti premia pulchra dabit.

Rex, precor, *Æthericus*; nunc *HÆC* tua cœpta secundet,
Ulteriusq; tuos *CHRISTVS* adornet agros;

Ut tandem valeas studiorum texere telam,
Et chara Patrie commoda ferre tuæ.


SALVE! *LaVs VaLeas!* resonans passim, assonat *ECHO*,
HISce ô CresCe, Vire, VIVE, VaLe atqVè VIge.

Votum Parentis pro Filio Chariss.

VqVè pIIs stVDIIs InsIstere perge, *IOHANNES*,
Vt nostræ Patriæ felIX habearIs *ALVMnVs*.

τῶντα τῆς Φιλαδελφίας ἕνεκα ἐμυθῶς
ὑποσημειῶ

Daniel Gruuf Nycopenfis,
Sudermanniæ-Svecus.



OTia nulla tuis studiis, concedis, *Amice*;
Jam das de Patriâ, fœcundas ore loquelas;
Jam das in Studio, Sancti rata dogmata *Juris*,
Auxilio Sacro dum Flamen corda replevit.

Usque precor, *CHRISTUS* tua cœpta secundet amica,
Ut tandem pulcram possis contingere metam:
Sic tibi per Musas, bona Fama perennis in orbe;
Sic stat multa *SALUS*, vero de fonte *SALUTIS*.

Quod animitus p.

Johannes Jacobi,
Ingermannus.



